

$\frac{1}{3}$. & $\frac{2}{3}$. nempe 30. & 36. relinquentur 24.

Quest. 13.

13. Est hasta, cuius $\frac{1}{3}$. alba est, & $\frac{1}{3}$. nigra, & $\frac{2}{3}$. cærulei coloris, supersunt autem 12. palmi rubri. Quanta est ergo lōgitudō illius hastæ? Hic etiam inquirendus est numerus, ita vt, si ex eo dematur $\frac{1}{3}$. & $\frac{1}{3}$. & $\frac{2}{3}$. reliquus sit numerus 12. Pone eum numerum esse 45. à quo si auferas $\frac{1}{3}$. nempe 15. & $\frac{1}{3}$. nimirum 9. & $\frac{2}{3}$. hoc est, 10. supersunt 11. Debēt autem remanere 12. Dic ergo. Si 11. prouenerunt ex 45. ex quo prouenient 12? Inueniesq; 49 $\frac{1}{11}$. ac tot palmorū est hastæ illius lōgitudō. Nam eius $\frac{1}{3}$. continet palmos 16 $\frac{4}{11}$. at $\frac{1}{3}$. continet palmos 9 $\frac{2}{11}$. Item $\frac{2}{3}$. continent palmos 10 $\frac{10}{11}$. qui omnes numeri ablati ex lōgitudōne hastæ palmorum 49 $\frac{1}{11}$. relinquant 12. palmos.

Quest. 14.

14. Quidam pro 30. vlnis panni albi, & 40. vlnis panni nigri expendit 660. aureos, constiteruntque singulæ vlnæ panni nigri duplo plus, quàm singulæ vlnæ panni albi. Quanti ergo constitit vna vlna panni albi, & quanti vna vlna nigri? Pone vnā vlnā panni albi constitisse 4. aur. Et quoniam pretium vnus vlnæ panni nigri est duplo maius, necesse est, vnā vlnā panni nigri constitisse 8. aur. Ex quo fit, 30. vlnas panni albi constare 120. aur. & 40. vlnas panni nigri valere 320. aur. qui omnes aurei efficiūt 440. Nos autem diximus, illum expendisse 660. aur. Dic ergo. Si 440. prouenerunt ex 4. ex quo proueniēt 660? Inueniesque 6. aur. pro pretio vnus vlnæ panni albi, ac proinde 12. aur. pro pretio vnus vlnæ panni nigri. Ita enim 30. vlnæ panni albi constabunt 180. aur.